





1728 110  
81-  
43  
1728  
Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

SISTENS

GENVINAS CVRÆ  
SEXVS ET ÆTATIS  
DIFFERENTIAS,  
CVM VSV PRACTICO,

QVAM

INDVLGENTE  
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE  
IN PER-ANTIQA ERFFVRTHENSI  
ELECTORALI

PRÆSIDE

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,  
Icto,

SACR. CÆS. PALAT. COM. IVRID. FACVLT. ASSESS. ET PÆNDECT. PROF. P. O.  
NEC NON CIVITAT. SYNDIC. ET CONSVLE,

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE  
PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI,

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORE

ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

CHRISTIAN GOTTLÖB Petermann/

Dresdens.

ADVOC. SAXON. IMMATRICVL.

DIE XXVIII. SEPT. MDCC XXVIII.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad, Typogr.



VIRO  
SVMME REVERENDO, PER-ILLVSTRI,  
ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**BERNHARDO**  
SACR. ROM. IMP. EQVITI ET  
NOBILIORI  
**DOMINO DE ZECH,**  
Dynastæ in Schmorfau/  
SACRÆ REG. MAJESTATI POLONIÆ  
ET PRINCIPI ELECTORI SAXONIÆ IN SAN-  
CTIORI SENATV à CONSILIIIS, REVER.  
CAPITVLI CIZENSIS DECANO,  
**DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.**

VIR  
SUMME REVERENDE, PER-ILLVSTRIS  
ATQVE EXCELLENTISSIME,  
DOMINE GRATIOSISSIME!



**Q**uotiescunque tam ad dignitatis tue  
summique honoris fastigium, quam ad  
ea, qua TIBI me devinciunt, gratie  
pondera animum verto atque oculos,  
toties ab hoc TE compellandi TVOque  
NOMINI PER - ILLVSTRI hasce  
meditationes Inaugurales fugitivo calamo exaratas  
consecrandi proposito, me advocatum fuisse, ingenuâ animi  
submissione fateor, VIR GRATIOSISSIME. Haud  
levis enim audacia videri posset, hominem, qui infima  
clientum tuorum subsellia occupat, TE in tam arduis  
tamque immensis, quæ TIBI concredita sunt, negotiis,  
interpellare, mentemque alio divertere; Veruntamen  
mens

mens TVA Generosa, nec non beneficiorum plurimorum,  
quibus me per quam gratiosè affecisti, cumulus, sustule-  
runt tandem verecundiam meam animique fluctuatio-  
nem: atque in spem me impulerunt, fore, ut serenâ sis  
accepturus fronte, si in proposito meo pergam, ac, ani-  
mi mei tam gratitudinem, quam verum NOMINIS  
TVI cultum, submissamque meritorum Tuorum vene-  
rationem, publico quantulocunque hocce documento tam  
ereminus, quam cominus TIBI met exponere instituam.  
Nolo jam singulas laudes, egregiaque merita TVA, quæ  
in omnium sermonibus ac literis vigent in Saxonia no-  
stra & extra illam, consecrari operosius, ne modestissimis  
auribus TVIS abuti videar: quamquam nec id perfice-  
re, ut maxime velim, possim, cum omnem dicendi scri-  
bendique vim & copiam fere exhauriant: sed hoc tan-  
tum patere, enixe obsecro, VIR PER-ILLVSTRIS, ut vel  
solam istam gravitatis cum humanitate societatem tuam,  
quâ TE in audiendo facilem, in decernendo justum, in  
juvando promptum, ac in benefaciendo indefessum præbes  
omnibus, in presentiarum admirari, revereri ac suspi-  
cere debeam. Nonne enim ex gratiosa TVA sollicitu-  
dine, quicquid mihi met speciatim fortunæ in Patria obti-  
git, unice promanavit? Quidni ergo ad reponendas TIBI,  
quæ justissime debentur, ac hisce pagellis devota mente per-  
solvo, grates impellar? Accipe igitur, gratiaque TVA  
haud

*baud dedignare illas, VIR PER-ILLVSTRIS. Nam  
utut splendidior utique fructuum pars TIBI seponenda  
erat ex arbore, quæ omnem sui incrementi partem TIBI  
debet; eò magis tamen sperare mihi licet non plane in-  
dignam fore qualemcumque hancce pietatis in TE mea  
testificationem, si ejus quod offertur, pretium, solum offe-  
rentis animum absolvere, & quod ex se non habet meri-  
ti, à PER-ILLVSTRI NOMINE TVO quod submisisse  
precor, mutuari patiaris. Ita Deus O. M. TE VIR  
GRATIOSISSIME, cum PER-ILLVSTRI DO-  
MÒ TVA ad seros usque annos incolumem seruet, flo-  
rentemque, TVAque gratia ac favore memet magis ma-  
gisque digniorem evadere sinat*

PER-ILLVSTRIS NOMINIS  
TVI

Dab. Erford. d. 28. Sept.  
1728.

*cultorem perpetuum*  
CHRISTIAN GOTTLOB Petermann.





## DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

- §. I. Tutela Juris Naturæ est, quoad originem, quod terminum ad quem non definit.
- §. II. Sed determinatio temporis facta est jure positivo.
- §. III. De Jure Romano minoribus inuitis Curatores regulariter non dabantur, per indirectum tamen ad petendos Curatores post tempora M. AVR. ANTONINI adigebantur.
- §. IV. Germania Legibus, ut minorennibus inuitis etiam ex officio Curatores constitui debeant, prudenter provisum, quod Jure Saxonico videtur dubium propter Land. Recht L. I. Art. 46.
- §. V. Transitio ad thema, ubi
- §. VI. Quid sit cura etatis præmonetur.
- §. VII. Jure Germanico Curator majorem habet potestatem circa personam minoris, quam Jure Romano, propter REC. IMP. de A. 1577. §. 32. §. 3.
- §. VIII. Durat cura etatis saltem ad majorennitatem, quæ Jure Saxonico anno XXI. Jure vero Romano anno XXV. completo existit, & ex qua causa.
- §. IX. Cura sexus quid?
- §. X. Hæc Jure Justiniano iterum oblitterata, indeque factum, ut in illis terris, ubi
- X
- hoc

- hoc jus viget, cura sexus ra- §. XIX. Septimum.  
ro obtineat. §. XX. Octavum.
- §. XI. In Saxonia in viridi sem- §. XXI. Juxta Hulderi ab Eu-  
per mansit usu & observan- ben sententiam utranque  
tia, id quod ex variis causis curam sexus & etatis ita  
factum. differre, ut vix nominis com-  
munione dignæ videantur.
- §. XIII. Cura sexus & etatis §. XXII. Prima differentia,  
in non exiguis passibus con- §. XXIII. Secunda.  
veniunt, ex quo Fctorum §. XXIV. Tertia.  
Saxonicorum communis Re- §. XXV. Quarta.  
gula: Quod femina Saxo- §. XXVI. Quinta.  
nica & minor pari passu §. XXVII. Sexta.  
ambulent, pariaque jura ha- §. XXVIII. Septima.  
beant. §. XXIX. Octava.
- §. XIII. Recensetur primum §. XXX. Nona.  
tertium Comparationis; §. XXXI. Decima.  
§. XIV. Secundum. §. XXXII. Undecima.  
§. XV. Tertium. §. XXXIII. Duodecima.  
§. XVI. Quartum. §. XXXIV. Decima tertia &  
§. XVII. Quintum. conclusio.
- §. XVIII. Sextum.



DISPVATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,  
SISTENS  
GENVINAS CVRÆ SEXVS  
ET ÆTATIS DIFFERENTIAS  
CVM VSV PRACTICO IN  
SAXONIA.

§. I.



Vemadmodum Jus Naturæ generatim omnibus hominibus, ac in specie infantibus, aliisque, qui juxta H. GROTIUM *de Jur. B. & P. L. II. Cap. XXII. §. 12.* propter ætatem facultate actionum suarum moderandarum destituuntur, satis sapienter, ne ab aliis lædantur, prospexit, atque in casu, quo parentes, cæterive ascendentes agnate deficient, istorum regimen, rerumque ad ipsos spectantium moderamen, ut condigna & utilia societatis humanæ aliquan-

quando evadant membra, cuilibet occupanti & idoneo concessit, cujus imago & vestigium teste GRONOVIO *ad cit. loc.* GROTIUS ex lege LYCVRGI erat penes Lacedæmonios, apud quos quivis senex alterius liberis perinde ac suis imperabat, ac indecore agentes eos coercerat, adeo, ut si à legibus humanis abstrahamus, inter ejusmodi regimen tutelare, & potestatem patriam, in effectu nulla intercedat differentia; Ita terminum ejusmodi potestatis prælaudatum Jus Naturæ non definivit; quin potius, ut eousque durare debeat, censuit, quousque pupillus facultate se ipsum gerendi, bonaque sua administrandi, adeoque judicio maturo gaudere cœpit, cumque hoc ipsum pro varietate ingeniorum animique virium apud omnes non contingat uniformiter, non potuit non terminus tutelæ ad quem esse varius, atque dispositioni judiciove tutoris relictus.

§. II.

Cum vero in statu civitatis ex ejusmodi incertitudine tam personarum tutelam habiturarum, quam termini ad quem, non paucæ suborirentur rixæ, quibus multum conturbabantur judicia, ac reipublicæ status, à Legislatoribus humanis utrumque ad certos distinctosque limites fuit redactum, atque non solum de illis, qui tutelæ oneri sunt subjiciendi, sed quoque quousque regimen tutelare durare debeat, postea definitum. Apud Romanos itaque pubertas pro termino finiendi tutelam constituebatur. Cum autem inter PROCVLEJANOS & CASSIANOS, quorum hi ex corporis habitu, illi vero ex annis pubertatem æstimarent, PRISCVS vero utrumque judicium pubertatis conjungendum pu-

putaverit, Dn. HEINECC. *Elem. Jur. Tit. Quib. mod. tut. fin. §. 260.* JUSTINIANVS rejecta Cassianorum & P. sci sententia, Proculejanorum castris ita accessit, ut masculorum pubertatem & tutelam expleto anno XIV. foeminarum vero anno XII. pro indole populorum meridionalium & orientalium, qui praecocioris, potissimum sunt ingenii, finiendam iusserit. *L. f. C. quando tut. esse desin. §. pr. Inst. quib. mod. fin. tut.*

§. III.

Adepta pubertate cum longe discretius existat juvenile iudicium, apud Romanos pro regula quidem habebatur: *Inviis adolescentibus curatores dari non posse. §. 2. Inst. de Curat. sed desiderantibus saltem L. 13. §. 2. ff. de tut. §. Curat. dar. & consentientibus L. 2. §. pen. §. ult. ff. qui per. tut. vel Curat. sed hoc non ita, ut vulgo creditur, accipiendum, quod statim tutela ipso jure finita, administrationem bonorum absque Curatore, si eum non petierunt, indistincte receperint minores; Hoc enim falsum esse, ex ULPIANO in L. 1. §. f. ff. de minoribus evincitur, ubi satis dilucide contrarium apparet, his verbis: *Et ideo hodie in hanc usque aetatem (scilicet annum XXV.) adolescentes Curatorum auxilio reguntur, nec ante rei suae administratio eis committi debet, quamvis bene rem suam gerentibus.* Id quod idem JCtus *L. 5. §. 5. ff. de adm. §. per tut.* adstruxit, nec non CALISTRATVS *L. 33. §. 1. ff. eod. tit.* confirmavit, ubi dixit: *Officium tutorum, Curatoribus constitutis, finem accipit, ideoque omnia negotia quae inita sunt, ad fidem Curatorum pertinent; idque etiam DIVUS MARCVS cum filio suo COMMODO descripsit &c. scilicet: ex JULIO CAPITVLINO in vit.**

M. Anton. Cap. X. constat: D. IMP. M. AVR. ANTONINUM legem Loetoriam, qua, non nisi prævia causæ cognitione, adolescentibus petentibus curatores constitui cæperunt, ita correxisse, ut omnibus adolescentibus, etiam causa non cognita, curatores dari jufferit, insimul effecerit, ut omnes minorenes adepta pubertate, ad petendos curatores per indirectum saltem adigerentur, quia alias rerum suarum administrationem à tutore recipere non poterant, id quod ob lubricum ætatis minorenis prudenter ita dispositum; Cumque sic etiam post tempora M. ANTONINI, invitis adolescentibus curatores directe non dabantur, sed petentibus saltem & consentientibus, statim apparet, quod frustra omnino RÆVARDVS L. I. Var. Cap. 12. incuriæ & ignorantia juris, sui ævi, ULPIANVM, quod scilicet adolescentibus invitis curatores dari negaverit, incusaverit, illique propterea recte celeberr. Dn. HEINECCIUS notam dixerit, in *Elem. Jur. L. 1. t. 23. §. 272*. Nam quemadmodum sine prævia petitione ipsis curatores ex officio nunquam obtrudebantur, ita nec directe à Præture ad petendum curatores regulariter adstringi poterant minorenes. Notanter dixi: *Regulariter*; Nam 1) in negotiis ad litem, 2) in casu, quo vel creditor eidem vult solvere, vel 3) tutor rationes reddere, curatoris petitionem fuisse absolutæ necessitatis, prætoremque minorenes etiam directe adigere & potuisse & debuisse in *L. 3. §. 2. ff. de tutel. §. L. 7. §. 2. ff. de minor. ipse fatetur ULPIANVS, firmatumque dedit MODESTINVS L. 2. §. 4. ff. qui pet. tut. vel curat*. Extra hos vero casus petitio curatoris nequitam erat necessitatis absolutæ, sed sal-

saltem hypotheticæ, atque ex Const. D. MARCI tum demum obtinebat, cum minor administrationem bonorum ipse desiderat, qua distinctione observata, haud est, quod cum Dn. GEORG. BEYERO Dissert. de Tutor. & Curat. differentia §. IX. & aliis citatum textum Ulpianeum in L. 1. §. 3. ff. de minor. ad solum minorem, curatorem jam habentem, erronee restringamus; Nil enim obstat, quo magis illum de omnibus minoribus, etiam Curatorem non habentibus intelligamus, quo minus & hisce administratio bonorum absque curatoribus constitutis indulgeri potuit, utat itidem cit. Dn. BEYERVS alleg. diff. §. 12. contrarium, & quod minor jam ipse post pubertatem res suas administrare poterit, asserat.

§. IV.

Apud Germanos à dispositione Juris Romani haecenus perleges Imperii fuit recessum, sancitumque, ut minoribus citra discrimen post pubertatem ad annum XXV. completum, etiam non petentibus, imo nolentibus ex officio Curatores constitui debeant. *Rec. Imp. de A. 1548. tit. 1577. art. 32. verb:* Daß denen Pupillen und minderjährigen Kindern ieder Zeit / biß sie zu ihren Voigtbaren Jahren kommen / Vormünder und Vorsteher gegeben werden. Ex quo factum, ut tutores, adepta pupillorum pupillarumve pubertate, curatelam ad tempora majorrennitate usque, citra novam constitutionem, ad evitandas ambages & sumtus, ut plurimum hodiernum continent, sed tantum abest, ut ad hoc inviti teneantur, ut potius finita tutela eodem modo, quo Jure Romano, rationes offerre, aliusve curatoris constitutio-

nem urgere valeant, teste CARPZOVIO *P. 2. const. 11. def. 10.* Utrum vero Jure Saxonico minorennibus invitis & non petentibus curator constitui possit? de eo non levem movet scrupulum textus in *Land-R. L. 1. Art. 42.* ubi legitur: Vor seinen Tagen (h. e. durante minorennitate:) und nach seinen Jahren (i. e. post annum sexagesimum) mag ein Mann wohl Vormünder haben / ob Er es bedarff / und mag auch ihrer wohl entbehren / ob er will &c. quibus verbis aperta quidem analogia Juris Romani hactenus inest, ut minorennis inviti curatores non recipiant. Sed per consuetudinem contrarium in Saxonis terris obtinere, atque hanc dispositionem Juris antiqui, cui *ARTICVLVS 23. L. 1. Sächß. Land-Richts* iterum contradicere videtur, usu non obtinere, tam ex quotidiana praxi, quam *COLERO*, optimo Juris Saxonici interprete, *Decis. XI. n. 16.* satis constat, ad quem me remitto.

## §. V.

An & qualis tutelam inter & curam hodiernum in Germania supersit differentia, ut ad examen revocem instituti mei ratio eo minus permittit, quo pleniori manu, curatiorque lima hocce pensum jam tum ex professo absolvit *Cl. Jct. GEORG. BEYER.* supra alleg. *Dissert. de bodierna tut. & curat. differentia, Lips. M. DCCIII. habita.* Sed cum discrimen, quod curam ætatis & sexus intercedit, in medium producendum, hacce Dissertatione inaugurali mihi sumserim, ante omnia, quid *cura et ætatis sit*, deinde in quo *cura sexus* consistat, præmittam, ut deinde utriusque genuinam differentiam, ea qua fieri potest brevitate, eo clarius ostendere queam.

## §. VI.



§. VI.

Est autem cura ætatis, juxta Juris Romani principia, nihil aliud, quam facultas administrandi bona, resque familiares eorum, qui ob ætatem rebus suis ipsi, prout par est, superesse non possunt. Dum bonorum rerumque administrationis feci mentionem, sua sponte fuit axioma: Curatorem non primario personis, sed saltem per consequentiam dari. §. 2. *Inst. de Curator.* adeoque minorennem ad factum mere personale, quod causam bonorum non respicit, e. g. in materia matrimoniali & sponsaliorum, etiam citra Curatoris consensum, valide se obstringere posse, *L. 20. ff. de rit. nupt. L. 101. ff. V. O. L. 5 ff. de spons.* ratione enim personæ Curator jura tantum habet consilii, quod ex parte minoris non est obligatorium. Res ipsas vero & bona administrat consensu, qui habet necessitatem. LAVTERBACH. *Colleg. Pract. L. 27. t. 10. §. 41.*

§. VII.

Hoc sicut de Jure Romano est extra controversiam, ita de Jure hodierno Germanico dubium suboritur, utrumne ejusmodi Curator circa personam minorennis majorem tantamque habeat potestatem, quam tutor in pupillum? id quod affirmare nullus dubitavit laudatissimus BEYERVS, *cit. Dissert. §. 13.* PROPTER REC. IMPER. DE A. 1577. *art. 32. §. 3.* ibi: *Seinen Pfllege-Kindern und ihren Gütern getreulich und ehlich vorsehn/ ihre Personen und Güter versehen und verwahren* &c. per quam legem, de tutore & curatore indiscriminatim loquentem, & persona & bona minorennis, æque principaliter officio curatoris subjiuntur, ita ut stante hac  
hy-

hypothesi eum non errare existimem, qui curam ætatis hodiernam per facultatem æque tuendi personam ac administrandi bona minoris definire maluerit atque hætenus apud Germanos inter tutelam & curam nihil superesse discriminis realis, statuerit, cum celeberr. HEINECCIO *Elem. Jur. P. 1. t. 23. §. 278. p. 92.* Hæcque sententia eo probabiliori fundamento ex eo inniti videtur, quo Germani tutores & curatores ne verbis quidem distinxerint, sed utrosque Vermündenere appellaverint, nec non curatoris consensum in nuptiis minorennis in plerisque locis hodiernum requirunt, curatorique quoad educationem minorennis potestatem, quam habuerunt tutores, nullatenus diminuant.

§. VIII.

Cæterum curam ætatis ad minorenes solum spectare persè est liquidum, indeque sponte consequitur, illam non esse perpetuam, sed ad tempora majorænnitatis solummodo duraturam, quæ Jure communi anno XXV. completo in utroque sexu incipit, curatorisve officium ipso jure finit. Qui terminus viginti quinque annorum *Lege Loetoria*, citra sexus discrimen, sæcus ac in pubertate, majorænnitati fuit destinatus, *L. 2. C. Theod. de donat.* acuteque docet Dn. GVDLING *tit. ff. de minor. §. 4. & 6.* LOETORIVM cum aliis seculum pro longissimo vitæ humanæ termino existimasse, ac primum ejus quadrantem juventuti accensuisse. Multas gentes in determinandis ætatibus, tanquam rem mere arbitraria à Romanis discessisse, exemplo Saxonum patet, qui anno XXI. completo minorennitatem amittunt; id quod non quidem ex ratione ludicrà, quam protulit aliquando CARPZO-

VIVS quasi verò in Saxoniam homines præcocioris sint  
 iudicii ac in aliis Germaniæ Provinciis, sed pro demon-  
 stranda propria Nomothosia arbitrarie ita disposuisse &  
 à Romanis recessisse Saxones, probabile est; plura de  
 diversis gentium moribus in determinandis hominum  
 ætatibus, cum apparatu, legi merentur apud illustr. Dn.  
 de LVDEWIG *Disp. de ætate puberum & majorum.*

§. IX.

Jam quid per *Curam sexus* intelligam, brevibus  
 ostendam. Scilicet sexum sequiorem, & in isto fœminas  
 majorennis intelligo. Minorennis non huic sed æta-  
 tis curæ subiectas esse per se patet, atque ejusmodi cu-  
 ram talem potestatem denotare existimo, quæ mari  
 competit, fœminæ, quæ sui juris & majorennis est, ne-  
 gotia consilio suo dirigendi, iisdemque valorem suo  
 consensu s. autoritate conciliandi.

§. X.

De origine hujus curæ demonstranda eo minus  
 ero in præsentiarum occupatus, quo magis hoc ipsum  
 ab aliis satis perspicue & solide jam tum est evictum, in-  
 ter quos HVLDER. ab EVBEN *Dissert. de tut. fœm. P. I.*  
*M. I. §. 5. seqq.* Dn. de BERGER *Diss. de necessit. curat. in*  
*act. mulier. §. 1. usque 10.* & instar omnium Dn. OTTO  
*Diss. de perpetua fœm. tut. cap. 1. §. 3. seqq.* quantum spe-  
 ciatim ad mores Atticos & Romanos attinet, nomi-  
 nasse sufficit. Hoc certum, ævo Justiniano curam se-  
 xus penitus iterum fuisse oblitteratam, ita, ut ejusdem in  
 corpore Juris Justiniani nulla certa & omni exceptione  
 majora invenire liceat vestigia, vid. D. HAVSDORFFII  
*Diss. de negotiis fœm. Sax. absque curat. valid. sub Præs. Conf.*

B

Dn.

*Dn. Præsidis Erford. Mens. Febr. 1728. habit. §. 5.* contra vero fæminis adultis libera rerum suarum dispositio relicta, imo maritis cura uxorum interdicta legitur. Ex quo factum, ut in non paucis Germaniæ locis, recepto hoc Jure Justiniano, rejectis econtra pristinis moribus, sancitisque patriis, cura hæcæ sexus in desuetudinem hodiernum abierit, hancque ob causam in dubio pro Jure civili standum, atque e.g. illi, qui ex defectu Curatoris contractum mulieris impugnat, probationem injungendam esse, quod consuetudine vel statuto ejus præsentia sit necessaria, imo marito de receptitiis tanquam Curatori uxoris legitimo agenti, exceptionem illegitimationis valide opponi posse, docuerunt MEV. P. 3. dec. 335. HAHN ad WESEMBEC. de tutel. n. 5. & ESBACH ad CARPZ. p. 2. C. 15. d. 1.

## §. XI.

At vero secus hæcæ se habent in Saxonia, ubi cura sexus legibus moribusve antiquissimis introducta hodiernum in viridi adhuc praxi est, & observantia; Maluerunt enim Saxones more priscorum Germanorum, sexum sequiorem majorem æque fere ac minores subesse curatoribus, quam in negotiis præsertim judicialibus, eundem relinquere indefensum, atque adeo rerum suarum permittere administrationem & dispositionem. Firmant hoc ipsum perspicue non leges solum germanorum antiquissimæ, quas allegat illustratve SCHILTER. Ex. ad ff. 37. §. 241. cum aliis, quæ mediæ ævi sunt, puta S. Land. Recht L. 1. Art. 123. sed etiam constitutiones noviores & recentissimæ Electoratus Saxonici, quas inter tam CONSTITVTIO Augustea XV. P. II. quam

quam *Potentissimi* REGIS FRID. AVG. Mandatum de  
*Ann. MDCCXXII. d. 18. Novembr.* cum RESCRIPTO  
 DECLARATORIO de *Anno MDCCXXIII. d. 1. Jul.*  
 nec non ORDINAT. PROC. RECOGNIT. ad tit. VIII.  
 eminent. Neque adeo improbable est, easdem ratio-  
 nes suadere potuisse Legislatoribus Saxonis fœmina-  
 rum adularum curam, quæ commovit ante Justiniani  
 secula Romanos, ut sexui sequiori indistincte quibus nec  
 carere potuerint nec debuerint tutoribus prospexerint,  
 scilicet tam imbecillitas & infirmitas sexus, quam variis  
 sæpe casibus lædi ludique impensissime dicitur mulie-  
 rum genus, in *L. 9. pr. ff. de Fur. & fact. ignor.* quam et-  
 iam rerum forensium ignorantia, tantum non rei fami-  
 liaris cura & sexus verecundia. Haud quidem me fu-  
 git, illustrem Dn. de LVDOLF. *tr. de illustr. fœm. Jure*  
*S. I. §. 26. p. 54.* à nostra sententia recedere hætenus, ut  
 ob ejusmodi fœminarum heroinarumque exempla,  
 quæ ingenii & judicii vi prævaluerunt non rarò viris,  
 ab imbecillitate sexus causam introductæ hujus curæ  
 nullatenus quærendam, quin potius à sola cujuslibet  
 reipublicæ ratione civili deducendam esse existimet;  
 Sed cum à singulari ad universale non valeat conse-  
 quentia, juraque non de eo quod raro, sed ut plurimum  
 fieri solet, disponant, statim apparet, vix esse, ut eidem  
 hac in parte accedere convincamur.

§. XII.

Atque hæc de cura ætatis & sexus generatim præ-  
 monuisse sufficiat. Jam ut utriusque differentiæ juxta  
 thema inaugurale succincta brevitate ostendantur, tem-  
 poris ordinisque postulat ratio. Hæc autem differen-

tiae primo intuitu tantæ videntur esse exiguitatis, ut ipsi Jcti Saxonici generalem inter minorem & fœminam Saxoniam, & ita per consequentiam etiam inter curam sexus & ætatis comparationem instituerent nulli dubitaverint, prout MEYIVS P. 1. Dec. 134. ex MÖLLERO ad const. Sax. XV. n. 73 seqq. n. 2. satis expresse comprobatur. Ante omnia itaque quatenus ejusmodi comparatio procedat, ero sollicitus, ut deinde in quo utræque cura differant, eo dilucidius evincere queam.

## §. XIII.

Affimulantur itaque utræque curæ sibi invicem in eo, quod quemadmodum I.) quoad *negotia judicialia* à minore absque curatore ne quicquam quod in præjudicium bonorum suorum tendit, active vel passive in judicio fieri potest, neque minor citra curatorem legitimam personam standi in judicio habet, L. 2. §. 3. C. qui legit. person. stand. CARPZ. in Proc. T. V. §. 1. n. 34. p. 108. a. ita idem in fœmina adulta Saxonica, sive maritata, sive soluta, tam in foris electoralibus, quam provincialibus obtineat, ita ut ne pro se quidem postulare nec se defendere sine Curatore possit. CARPZ. P. 1. C. 1. def. 30. §. de Jur. fœm. singul. dec. 3. pos. 1. Land. N. A. 46. L. 1. §. Art. 63. L. 2. const. Elect. XV. P. 2. ORD. PROC. EL. VET. Tit. VIII. verb. Gleichergestalt sollen die Ehe-Weiber anderergestalt nicht als durch verordnet Curatores personam standi in judicio haben &c.

## §. XIV.

Contra vero, quemadmodum II.) minor in illis negotiis, quæ in præjudicium ejus non tendunt, in judicio absque Curatore legitime comparet, istaque valide per-

peragit, ita eodem jure foemina quoque Saxonica utitur. Hinc tam minorem quam foeminam absque Curatore & testamentum judiciale condendi, vel insinuandi potestatem habere, atque in utrisque subscriptionem Curatoris inter cautelas inutiles referendam esse, STRYCK. *de caut. Testam. Cap. III. §. 15. & 17.* recte docuit. Jctis Jenensibus sine sufficienti causa contrarium de testamento foeminae decidentibus apud LINCKER. *Dec. 1308.* Idemque jus utrisque tam foeminae quam minorenni in donatione mortis causa, sive judicialiter, sive extrajudicialiter facta, competere, eo minus dubito, quo certius constat, neque ex hoc actu ipsis donantibus tantillum laesionis metuendum esse, atque tanquam actus ultimae voluntatis aequae ut testamentum ad extremum usque spiritum sit revocabilis, per jura notoria. Frustra haec quoad foeminam dissidentibus WESENBECKIO, SCHNEIDEWINO, & MOD. PISTORE, quibus satisfecit CARPZ. *P. 2. C. 15. def. 10. n. 3. seqq.*

§. XV.

Ex eodem porro principio III.) fuit, quod in istis actibus judicialibus, ubi conditionem suam meliorem non deteriorem faciunt, minor & foemina adulta pari iterum passu haecenus ambulent, ut uterque persona legitima standi in judicio absque Curatore gaudeant. Sicut itaque foemina absque Curatore fatalia recte observat, se ad juramentum offert, delatumque praestat, appellat, aliaque remedia suspensiva contra sententiam gravantem interponit, nec non arrestum in casu, ubi periculum in mora, impetrat, Dn. WERNH. *Vol. 1. obsf. 260. n. 7.* MÖLLER *L. 4. semestr. C. 20. n. 1.* ne quod in

favorem mulierum introductum, in eorundem detorqueatur odium; atque dispendium. Dn. de BERGER in *Oecon. Jur. L. 1. t. 4. §. 6. Not. 6. p. 177. & El. disc. for. p. 290. seqq.* Ita ob eandem rationem nec minorem in hisce actibus Curatore indigere, nullus dubito, cum constet & pupillum & minorem conditionem suam absque tutore vel Curatore nunquam deteriolem, bene tamen semper meliorem facere posse, *pr. Inst. de autor. tutor. §. 9. Inst. de inutil. stipul.*

## §. XVI.

Porro IV.) in actibus judicialibus personalem præsentiam præcisè requirentibus minorem cum foemina quoad curam in pari stare conditione, in aprico positum. Sic I.) in criminalibus tam hæc, quam ille absque Curatore ad articulos, & in confrontatione, nec non tortura respondere tenetur. Sic quoque 2.) in causa civili vel criminali qua testis productus minor vel foemina fuerit, absque Curatore oportet comparere, juratoque deponere; Atque quod 3.) in matrimonialibus de foeminis in ORDINAT. *Elect. Prov. recogn. ad tit. VIII. §. 3. statutum*, quod sc. absque Curatore in termino amicalis compositionis standi personam in iudicio habeat, ita idem de minore afferere nullus dubito; quid extra Electoratum obtineat, vid. MEV. *P. IX. Dec. 16.*

## §. XVII.

Quod ad negotia extrajudicialia attinet, haud levis V.) minoris & foeminæ, nec non curæ ætatis & sexus se se exhibet comparatio. Nam de illo constat, quod sine Curatore ne quicquam negotii, ex quo ipsi metuenda læsio, alterive obligatur, cum effectu celebrare queat, sed con-



contractus ejusmodi negotiumve ex parte minoris sit ipso jure nullum. Haecenus n. inter pupillum ac minorem nullam esse differentiam, fatentur omnes, ex parte vero alterius, cui cum minore fuit negotium, firma adest obligatio, ita ut hanc ob causam contractus initus claudicare dicatur. Hinc sine curatoris consensu minorem nulliter omnino emere vendere, permutare, locare, conducere, hæreditatem adire, dividere, transigere, donare, fidejubere, pignora vel hypothecam constituit, mutuum pecuniam accipere, in simultaneam investituram aliquem admittere, debitorem suum ab obligatione liberare, item solvere, aperti juris est. Jam vero ratione fœminæ Saxonicæ adultæ idem fere obtinet, quæ sive *maritata* sive *soluta* in foro ELECTORALI *de immobilibus* neglecto Curatoris consensu, ex parte sua non nisi nulliter, disponit, MEV. *ad J. Lub. l. 1. t. 10. a. 3. n. 13.* LINCKER *dec. 1016. 1041. 1141. 1406.* idque CONST. ELECT. SAX. XV. *Part. 2.* in ejus favorem, ne cum sæpe adversus propria commoda laborare soleat, *L. 4. C. de sponsalib.* ita facile decipiatur, constitutum est, ita tamen, ut nihilominus alterum, cum quo contrahit, valide devinctum teneat, si forte negotium utile sibi esse deprehendat, cum omissio solennitatis, quam lex in mulierum favorem requirit, actum iisdem utilem vitare nequeat, Dn. WERNH. *P. 1. obs. 260.* Ex parte vero uxoris tanta ob defectum consensu Curatoris suboritur nullitas, ut neque maritus, neque uxor stante, aut soluto matrimonio inde conveniri queant, CARPZ. *P. 2. C. 15. def. 4. 5.* SANDE *L. 2. t. 4. def. 3.* Idem quoque in FORO ELECTORALI *de rebus mobilibus* intuitu fœminæ

*maritata* obtinet, ita uttam mariti ut curatoris legitimi, quam curatoris confirmati, si quem habet uxor, consensus requiratur, per MANDAT. REG. de Anno MDCCXXII. Neque aliud JURE SAXONICO COMMUNI haecenus est constitutum, vigore cujus foemina maritata non solum de immobilibus sed quoque de mobilibus sine consensu Curatoris in sui praedictum se se obstringere nequit, quod in *foeminis solutis* secus, quae tam de *immobilibus* quam *mobilibus* etiam citra curatorem liberum disponendi habent arbitrium, per Land. R. L. 1. Art. 45. id quod de rebus *mobilibus* similiter JURE SAXONICO ELECTORALI ratione *foeminarum solutarum* constitutum legitur supra allegato MANDATO REGIO de AMDCCXXII. d. 18. Nov. vid. Dn. de BERGER in *Oecon. L. 1. t. 4. §. 6. Not. 3.*

§. XVIII.

Minorem absque Curatore, quem hodiernum semper habere oportet, contrahentem, nec naturaliter quoad effectus juris obligari, egregie & solide edoctum dedit FRANZK. *Exerc. III. Qu. V.* nec non LAVTERBACH. *Colleg. Pract. L. 27. t. 10. §. 39.* Nulla autem me causa movet, quare non idem in foemina adulta sine Curatore contrahente adstruam, Vitamque inter minorem & foeminam Saxoniam majorem, ac per consequens inter curam sexus & aetatis paritatem inde ostendam. Defectus enim potestatis, alterum scilicet obligationis principium, quae in minore naturalem obligationem impedit, adest quoque ex dispositione legum Saxoniarum in ejusmodi foemina; neque haec sola voluntas ad producendum obligationis naturalis effectum, quae  
NB.

NB. tendit in ejus præjudicium, sufficit. Ex quo consequitur: 1) ejusmodi fœminæ absque Curatore se alteri obliganti, conditionem indebiti ad repetendum illud, quod sponte per errorem præstitit, eodem modo ac minori competere, CARPZOV. P. 2. Const. 15. def. 2. 2) fœminæ Saxonicæ creditrici non posse ab ejus debitore opponi compensationem ratione ejus, quod ipsa sine Curatore promisit; hætenus enim reprobata esse naturalem obligationem manifestum est; Contra vero 3) non obstat, quo minus, salva nostra thesi, fidejussor fœminæ cum efficacia conveniri queat, ad illud, quod hæc sine Curatore promisit, præstandum, fœmina vero per se neque Creditori teneatur, nec ejus fidejussori, arg. L. 127. ff. de V. O. prout contra TIRAQUELUM & BERLICHIVM ex MOLLERO & HERINGIO recte demonstravit CARPZOV. P. 2. C. 15. def. 7. firmavitque Dn. de BERGER *Diff. de Nec. curat. in act. mulier. §. 16.* itemque novatio & delegatio subsistat, veluti, si id, quod v. g. Titius tibi debet, à fœmina sine Curatore stipulatus sis, hoc enim casu & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est, adeoque novatio ratione prioris debitoris subsistit, arg. §. 3. *Inst. quib. mod. toll. oblig. L. 1. §. 1. ff. de Novat.* Ratio in promptu est, quod scilicet ejusmodi fidejussor & creditor novans animum donandi habere præsumantur, L. 25. ff. de fidejuss.

§. XIX.

In hoc quoque VII.) minorem & fœminam Saxonicam ac utriusque curam convenire existimo, quod in neutra, ut consensus curatoris statim in ipso actu & negotio interponatur, necesse sit, sed ut finito negotio &

C

ex

ex post insequatur, sufficiat. De *cura minoris* hoc ipsum apud omnes fere in confesso est, probavitque solide FRANZKIVS *Ex. III. qu. 4.* sed de *cura sexus* aliter sentit ill, Dn. de BERGER *Diss. de Necess. curat. in act. mulier. §. 14.* CARPZ. *P. 2. C. 15. def. 30.* Rationem potissimum ab autoritate tutoris desumunt, quæ in ipso negotio de Jure Romano adesse debuit, neque ex intervallo adveniens quicquam operari poterat, §. 2. *Inst. §. 1. §. 4. ff. de autor. tut.* atque existimant, consensum curatoris in foeminarum negotiis ad personam mulieris integrandam & de forma ac substantiali solemnitate requiri in legibus Saxonis. *Id. cit. BERGER Dissert. §. 12.* sed quemadmodum recte argumentum ab autoritate tutorum ad consensum curatorum sexus negavit Dn. WERNH. *P. 1. obs. 261. cum illustr. Viteberg. ordine in Respons. P. VI. obs. 338.* Ita citato loco probatum dedit: ad integrandam personam mulieris consensum curatoris sexus requiri nullatenus; sed eo saltem fine eum adhiberi, ut ad exemplum curatoris minorum, illam consilio & consensu, ne lædatur, adjuvet, ad quod tamen consilium & consensum adhibendum sicut fœmina sub pœna nullitatis in LL. Saxonis adstringitur, ita nihil referre potest, utrum ab initio curator consentiat, vel ex post facto negotium ratihabeat. Nec est, quod hic ad vocem *autoritatis* provocet, quæ in CONSTITVTIONE XVta SAXONICA *P. 2.* deprehenditur. Hanc enim nullatenus ita captandam esse, ut cum autoritate tutoris synonymice accipiat, quin potius idem ac consensum denotare, atque ita, teste Dn. RIVINO, à Facultate Juridica Lipsiensi Anno 1702. & supremo appellationum Senatu eodem anno judi-

judicatum esse, probe observavit *cit.* Dn. WERNH. *c. l.*  
 Quid! quod neque hodiernis moribus in pupilli nego-  
 tiis tutoris præsentis auctoritatem adeo præcise requiri  
 videmus, sed sufficere, si quocunque modo, ex interval-  
 lo licet, accesserit, teste HOPPIO *ad §. 2. Inst. de autor.*  
*tutor. in us. hodiern.*

§. XX.

Nec denique VIII.) hancce notabilem inter mi-  
 norem & foeminam majorem Saxoniam conve-  
 nientiam silentio prætereundam existimo: quod utrius-  
 que negotium absque Curatore nulliter gestum, jure  
 præsertim Canonico, in praxi hætenus recepto, toties  
 convalidetur, quoties jurato vel corporaliter, vel in scri-  
 ptis confirmatum sit. Utramque hypothesein à non pau-  
 cis vocari in dubium, non quidem ignoro; Sunt enim,  
 qui minoris actus nulliter gestos juramento convalidari,  
 atque *Authent. FRIDERICI, sacramenta puberum C. si ad-*  
*vers. vendit.* de negotiis minoris valide gestis tantum in-  
 telligendam esse existimant; Sed uti contrarium rectius  
 propugnauerunt instar omnium LAUTERB. *Colleg.*  
*Pract. L. 4. t. 4. §. 34. cum Dn. WERNH. & Vitebergensf.*  
*Factor. illustri ordine P. 1. obs. 217. p. 448. & in supplem. Vol.*  
*VII. ad dict. observat. p. 218.* ita de Jure Canonico, quod  
 omne juramentum, quod sine dispendio æternæ salutis  
 servari potest, nec in præjudicium tertii vel utilitatis pu-  
 blicæ tendit, servandum esse præcipit, res in apicem est  
 posita. Jam ut idem de foemina Saxonica majorene,  
 contractum citra consensum curatoris initum jurato fir-  
 mante, hætenus statuam, ut scilicet hic in ejus præjudicium  
 omnino subsistat, & per juramentum convalidetur, cum

B. de LINCK. *Dec. 1002.* B. MENCKEN. *Disp. ad Proc. 6. z. 8. th. 12.* nec non B. STRYCKIO *in C. C. S. I. c. 2. §. 30. n. 4.* contra dissentientem CARPZOV. *L. 5. Resp. 10. n. 2.* & ZANG. *de Except. p. 3. c. II. n. 201. seqq.* non habeo, quod dubitem.

§. XXI.

Satis quidem superque ex prædictis OCTO CONVENIENTIIS apparere videtur, neutiquam à vero adeo aberrare, qui minorem cum fœmina Saxonica adulta, ac per consequens curam ætatis & curam sexus comparant; Sed cum ejusmodi assimilitudo non sit universalis, ita ut propter varias, ac notabiles, quæ tam inter utramque curam, quam utrasque personas supersunt, differentias, B. HVLDERICVS ab EVBEN *de iur. fœm. memb. 1. §. 9. p. 329.* affirmare nullus dubitaverit: adeo immane quantum curam sexus & ætatis discrepare, ut vix nominis communionem dignam videamur; hinc ad ipsas differentias me accingam, & in quo hæc demum consistant, sum demonstraturus.

§. XXII.

PRIMA ergo differentia esto: quod *cura ætatis* hodiernum & Jure Germanico triplicis generis sit, vel *Testamentaria*, vel *legitima*, vel *dativa*. Notanter *Jure*, dixi, *Germanico*; Nam *Jure Romano* neque curam testamentariam, neque regulariter curam legitimam, sed saltem dativam obtinuisse, ex §. 1. & 3. *Inst. de Curat.* manifestum est; Rationes videri possunt apud HOPPIVM in *Commentar. p. 181. & 189.* sed Jure Germanico & Praxi hodierna secus esse & curam ætatis dari tam testamentariam, quam legitimam, æque actutelam, ex Reformatione Polit. RVDOLPHI II. *de A. 1577. tit. 32. §. 1.* recte pro-

probavit B. LVDOVICI Doctr. ff. L. 27. t. 10. p. 481. At in cura *sexus* hæcce paullo se habent aliter. Nam hæc per *testamentum* regulariter hodie non constituitur, nec constituta fæminam vel Judicem, ut hic eam confirmet, illa vero curatorem in testamento nominatum simpliciter admittat, præcise stringit; Notanter dixi: *Regulariter*; Nam & patrem filiæ adultæ & solutæ, ac maritum uxori per testamentum Curatoribus eatenus saltem prospicere posse, quatenus infimul illos in hæredes instituant, ex MEVII Dec. 168. P. 11. constat. Quod cum extra casum heredis institutionis aliter sese habeat, ita curatorem ætatis à Patre vel matre liberis minoribus hodiernum simpliciter & extra casum heredis institutionis constitui vel posse, eamque cæteris paribus, à magistratu confirmari deberi, nullus dubito. R. J. de A. 1548. & 1577. l. 32. SCHVLTZ. *Synops. ad Inst. tit. de Curat. lit. c.*

§. XXIII.

SECUNDA differentia ratione curæ *legitimæ* sese exerit. Nam cura *legitima ætatis* proximis minoris agnatis & cognatis, non quidem Jure Romano, bene tamen Jure Germanico ipso jure deferretur, ita quidem, ut hi, post supra allegatum REC. IMP. de A. 1577. Art. 32. §. 2. inviti curam eodem modo ac tutelam suscipere teneantur, ac pro minus legitima excusandi causa habeatur, quod eis certo hereditatem sperare non liceat. Dn. BEYER. *Dissert. de Tutor. & Curat. differentia §. IX.* At proximis agnatis & cognatis cura *sexus* neque ipso jure, neque invitis deferretur, quin potius ratione fæminæ solutæ majorennis curatela legitima plane non datur; sed saltem ratione uxoris obtinet, quæ in curam & le-

gitimam mariti ipso jure per nuptias in Saxonia incidit, qui propterea Curator connubialis, sive ehelicher Vormund appellatur.

§. XXIV.

TERTIA differentia inter utramque curam in eo versatur, quod Curatori ætatis tam primario bonamini-  
noris administrandi, quam secundario personam ejus-  
dem gubernandi jus & potestas competat. At vero Cu-  
rator sexus nec bona curandæ ipse administrat, nec ejus  
personam gubernat, sed utrumque ipsi foeminæ relinqui-  
tur, quæ in iis, quæ ejus personam mere concernunt,  
libere, eodemque modo, ac si Curatorem non habeat, di-  
sponit, bonaque sua, sive in mobilibus aliis, sive pecunia  
& pretiosis, consistant, non in Curatoris sed ejus custo-  
dia maneant, ex quibus de alimentis victu & amictu si-  
bimet ipsi citra Curatorem prospicit, quæ in Curatore  
ætatis secus, qui minoris bona præsertim pretiosa &  
pecuniam curæ & manibus ejusdem non committit,  
nec non ex illis ipse de alimentis aliisve ad educationem  
necessariis curando suo, ea qua fieri potest diligentia,  
prospicit.

§. XXV.

QUARTO in eo cura ætatis a cura sexus discrepat,  
quod minori citra Curatoris consensum nullo plane  
modo jus de rebus suis sive mobilibus sive immobili-  
bus in suum præjudicium disponendi, seque alteri obli-  
gandi potestas competat. At vero foemina soluta ma-  
jorennis in terris Saxonix electoralibus absque Cura-  
tore de rebus mobilibus efficaciter ita pro lubitu di-  
sponit, ut, modo non de tota gerada fiat, liberrime non  
so-



solum donare, & negotiari, sed etiam alienare, oppignare, emere ac vendere, seque alteri firmiter alio quocunque modo, obligare valeat; MANDAT. REG. *de A. 1722. d. 18. Nov.* verbis: Sezen/ ordnen und wollen wir demnach hiermit: daß hinführo denen ledigen Weibes-Persohnen/ welche ihre mündige Jahre erreichet/ auch auffer den Fall/ wem sie etwas verschenden/ oder Handlung treiben/ nach gelassen seyn solle/ ihres Jahrnüsses halber/ worunter jedoch die gesamte Gerade nicht zuverstehen/ sich ohne Curatore verbündlich zumachen/ und damit nach Gefallen zugebahren. Uxorem porro citra mariti tanquam Curatoris legitimi consensum de bonis receptitiis, de quibus plenissimam tam inter vivos, quam mortis causa dispositionem sibi reservavit, dispensare, seque alteri cum effectu obligare posse, quid? quod, si in immobilibus consistant, neque mariti neque alterius quidem Curatoris, si quem habet, consensum requiri; eodem MANDATO REGIO distincte decisum legitur. Sic quoque in terris Saxoniae Provincialibus foeminas solutas citra differentiam objecti de rebus suis liberrimum habere disponendi ac sese alteri obligandi arbitrium, absque Curatoribus, apparet ex JURE SAXON. PROVINCIALI L. 1. Art. 45.

§. XXVI.

QVINTA differentia esto: quod cum minore Curator ætatis contrahere, adeoque hic ab illo quippiam emere, aut aliaratione sibi comparare nequeat L. 5. §. 2. C. 3. ff. de Aut. tut. idque sub poena rem ipsam amittendi & in super quadruplum præstandi, prohibitum legitur L. 46. ff. de Contrah. emtion. nisi vel Concuratorum fiat con-

consensu *L. 5. §. 2. ff. de autor. Consent. tut. vel Curat. vel in auctione publica, & quidem bona fide emtio facta sit cit. L. 5. §. 2. ff. de aut. tut. L. 5. C. de contrab. emt.* At vero solutam mulierem adultam Curatori sexus recte mobilia vendere posse est extra controversiam, id quod etiam in terris Saxoniae Provincialibus de immobilibus, intuitu viduarum & virginum, obtinere eo minus dubium est, quo minus hoc ipsum ullibi in LL. Saxonis est prohibitum; Imo quod & maritus, qua Curator legitimus ab uxore res receptitias mobiles absque alio Curatore, immobiles vero cum alio Curatore, emere possit, affirmare nullus dubito. Conf. *CARPZ. P. 2. Const. 15. def. 23. 24.*

§. XXVII.

SEXTA differentia est, quod Curator ætatis minori non minus ac tutor pupillo ad inventarium, reddendasque quotannis rationes teneatur, ac propterea actione tutelæ utili directæ conveniri queat *L. 1. pr. §. 3. juncta L. 18. ff. de tutela & rat. distrabend. L. 7. §. 9. C. arbitr. tutel. REC. IMP. de § 1548. § 1577. tit. 32. CONST. ELEC. SAXON. XI P. 2. ibique CARPZ. D. 2. § 3.* Quid? quod eundem Curatorem tertio, cum quo tanquam Curator vi officii contraxit, regulariter teneri, ita tamen, ut non finita, sed durante Curatela conveniri queat, & non de suo, sed ex bonis pupilli solvere debeat, *ex tot. tit. ff. Quando ex facto tut. vel Curat. minores agere vel conveniri possunt, satis constat. Conf. LAUTERB. Coll. pr. L. 26. t. 9. §. 4. seqq.* At vero in Curatore sexus aliter se habent omnia; hic enim neque ad inventarium, neque reddendas rationes, curandæ obstrictus est, multo minus à tertio ex con-

contractu, quem vel mulier, vel ipse vi officii Curatorii celebravit, modo dolus absit, conveniri poterit. Rationem suppeditavit illustr. Dn. de BERG. in *Oecon. L. 1. t. 4. §. 6. Not. 7. p. 177.* scil. Curatorem sexus non administrare bona curandæ, sed tantum instar Consiliarii esse, atque adeonec mulieri nec tertio teneri, etiamsi in subscriptione protestatione vulgari: *Wir und denen Meinigen ohne Schaden &c.* usus haud fuerit. Hanc enim omnino inutilem & frustraneam esse, ex indole & effectu Consiliorum apparet, quæ, nisi sint dolosa, Consiliarium per se non obligant. *§. 6. Inst. Mandati L. 47. ff. de R. J. & Cap. 62. de R. J. in 6to.* Aut ergo Curator in negotiis curandæ versatur in dolo vel non? posteriori casu protestatione non est opus, cum Curator, quid in re dubia sit faciendum, saltem bona fide ostendat & suggerat, sine tamen animo, foeminam ad illud præcise faciendum, & sese ad indemnitatem præstandam, obligandi; Priori vero casu protestatio adjecta protestantem non juvat; cum consilia dolosa semper sint obligatoria; quorsum quoque casus spectabit, si Curator non tantum, quod ipsi bonum videatur, ostendat atque suggerat, sed foeminam quoque multis persuasionibus urgeat, & reluctantem inducat, aut periculum consilii verbis expressis in se recipiat. *L. 32. ff. Mandati vel Contr.*

§. XXVIII.

SEPTIMA eaque notabilis differentia ex eo elucescit; quod bona minoris mobilia, quæ servando servari possunt, nec non immobilia, & prævio decreto Magistratus, quod vocant, alienationis, divendi alienari-

D

que

que queant, quin potius ejusmodi alienatio absque urgente ære alieno & decreto facta, non obstante Curatoris consensu, sit ipso jure nulla, dominiumque apud Minorem maneat, qui rem suam non rite & legitime alienatam a quocunque possessore vindicare poterit. *L. 2. L. 8. L. 10. L. 11. L. 15. C. de prædiis Minor.* LAVTERBACH. *Colleg. Pract. ff. L. 27. t. 9.* Sed fœminam solutam ad alienationem rerum mobilium, etiamsi servando servari possint, in terris Electoralibus ne quidem consensu Curatoris opus habet per MANDAT. REG. *de A. 1722. d. 18. Nov.* Ergo multo minus decretum alienationis vel urgens æs alienum requiri, per se patet. Idem quoque de fœminarum maritatarum mobilibus dicendum; ita quidem, ut ad harum alienationem solius mariti consensus, in immobilibus vero consensus in simul Curatoris specialis, si quem habet, prætereaque nihil, requiratur, *cit. Mandat. Regio. Conf. CARPZ. P. 2. C. 23. def. 31. MEV. ad Jus Lubec. L. 1. t. 7. art. 4. n. 8.*

§. XXIX.

OCTAVA disparitas ratione tacitæ & legalis hypothecæ, quæ minoribus in omnibus Curatorum suorum bonis ipso jure constituta est, in terris Saxonicis Provincialibus valde est conspicua. Utut enim ejusmodi tacita hypotheca minoribus in bonis Curatorum, veteri Jure Romano, ante CONSTANTINI Imperatoris tempora non competierit, quippe quo personale tantum habuerunt exigendi privilegium, prout ex *L. 19. §. 1. L. 23. ff. de reb. aut. jud. possid. nec non L. 44. §. 1. ff. de administrat. tutor.* satis perspicue patet; siquidem contraria

traria sententia BACHOVII & MONTANI, quorum hic *tr. de Jur. tut. Cap. 31. effect. 2. n. 19.* hanc hypothecam tacitam jure Pandectarum, ille vero ad TREVTL. *Vol. 2. Disp. 1. th. 4. lit. G. & in tr. de Pignor. L. 1. Cap. 9. n. 6. & 7.* ante CONSTANTINI tempora jam tum introductum fuisse statuunt, certo juris textu, qui hoc indubitato probet, destruat, prout recte edocuit CARPZOV. *L. 4. Resp. 33. n. 23.* Certum tamen est, sequentibus temporibus, præsertim CONSTANTINI IMP. dictum jus hypothecæ tacitum minoribus fuisse demum concessum per *L. 20. C. de Admin. tutor. L. un. Cod. de Rei Ux. Actio. Nov. 118. Cap. 5. inf.* atque in usu esse apud Saxones, teste RICHTERO *de Jure & Privileg. Cap. 4. Sect. 1. n. 81.* Verum enim vero in bonis Curatorum sexus ejusmodi hypotheca tacita foeminis Saxonice nullibi constituta legitur; id quod in foris Electoralibus eo certius, quo per ORDINATIONEM PROC. RECOGNIT. *ad Tit. XLV. §. 1. seqq. p. 262.* tacitæ hypothecæ generatim ac in totum jamjam sint sublatae atque extinctæ, adeoque per consequens modo recensita differentia ibidem omnino cesset, usumque non habeat.

§. XXX.

NONVM porro, atque consideratione haud indignum discrimen inter utramque curam hoc esse existimo: quod minor cum Curatoris consensu valide contrahens, in casu, quo lœsus est, regulariter, & cæteris paribus, in integrum restitui possit, & debeat; prout ex *intero ff. titulo de Minor. 25. annis* aperte constat; At vero fœminis adultis, si cum Curatore contraxerint,

aliave negotia inierint, læsæque sint, regulariter & non nisi ex causa, ex quâ etiam major restitui potest, beneficium restitutionis in integrum non competere, recte non minus ac solide edocuit MEVIUS *P. 1. Dec. 133.* & CARPZ. *P. 2. C. 15. def. 33.* Restitutio enim integrum quasi se habet instar privilegii, quo certis solummodo personis succurritur CARPZ. *P. 2. Resp. 77. n. 14.* atque per consequens non nisi eis competere poterit, quam quibus illud expressim concessum. *L. un. vers. quamvis illa minor C. si in commun. eademque causa* ibique BARTOL. Jam vero neque Jus commune, neque Saxonicum speciatim mulieribus, qua talibus, restitutione in integrum, contra negotium cum Curatore innitum, ex quo tamen læsæ sunt, regulariter succurrendum esse, statuit; Ergo ut contra vel præter Legis auctoritatem extensio ejusmodi Juris singularis generatim fieri queat, non existimo, cum *Juris Fœnensibus* apud B. de LYNCKER. *Centur. V. Dec. 453.* ubi fœmina, quæ cum Curatore domum vendiderat, postea vero prætextu læsionis in integrum restitui petierat, recte repulsam tulisse legitur; Verum enim vero, hoc ipsum ad illa, in quibus fœminis & minoribus in Jure paria jura speciatim concessa sunt, nullatenus extendo, quin potius, ut, in iis fœminam eodem modo, cum Curatore læsam, ac minorennem, in integrum restitutionis beneficio juvandam esse nullus dubitem, quale exemplum proponit idem MEVIUS *P. 1. Dec. 218.* de muliere, quæ contra lapsum fatalem ex causa ignorantia Juris restituta fuit, & recte quidem, cum tam minori quam fœminæ ignorantia Juris æque in Jure innoxia esse debeat, præsertim, si non de lucro captando, sed sal-

faltim de damna vitando utrosque versari constet. *L. 11. C. de Fur. & fact. ignor.* SFORT. ODD. *de Restitut. in integr. p. 1. qu. 10.* atque hactenus, hâcque sub restrictione, assentiri iis non vereor, quæ B. SCHIL T. *Exerc. ad ff. XI. §. 9.* cum B. JACOBI in special. *Dissertat. de Restit. in integr. faminar. Vitebergæ Anno 1671.* habita, nimis generaliter in contrarium adstruere placuit;

## §. XXXI.

PRO DECIMA differentia hocce referre lubet, quod *Cura sexus* solis masculis, neutiquam vero foeminis, contra vero *Cura ætatis* & foeminis quoque, puta, matri & aviæ competere valeat. Hoc posterius, sicut ex *Nov. 118. Cap. 5. & Land:R. L. 1. Art. 11. in f.* est manifestum, ita prius evincit cum quotidiana & universali praxi Saxonicâ, Curæ sexus, quam supra attuli, definitio. Hoc tamen certum, in foemina minorene, juxta veriore sententiam curam ætatis per curam sexus, legitimam quæ per contractas Nuptias supervenit, extingui & absorberi nullatenus, id quod recte ac solide defensum dedit illustr. Dn. de BERGER. *in Oecon. L. 1. tit. 4. §. 5. Not. 3. p. 172. & §. 6. Not. 5. p. 182.* Nuptiæ enim (1) inter modos dissolvendæ curæ nupsiam referuntur; Deinde (2) cura ætatis & Cura sexus non sunt ejusdem, sed diversi generis, ergo altera per alteram non perimitur. (3) Nil obstat, quo minus usufructus, qui marito qua Curatori sexus in bonis uxoris paraphernalibus Jure Saxonico, (secus Jure Justiniano) competit, per Curatorem ætatis eidem præstetur, maritique nihil interesse possit, an mediate, an

immediate usumfructum exerceat. (4) Jus Saxonicum Provinciale, quod marito statim nuptiis contractis Curam legitimam uxoris tribuit, neque *L. 1. Art. 31. C. 45. pr. & L. 3. Art. 45.* utrum ætas 21. annorum in uxore prærequiratur, definit, sed saltem generaliter & indefinite loquitur, non incommode sic interpretari potest, ut mariti cura legitima post uxoris majorennitatem pleno demum effectu gaudeat; Antea vero actu saltem primo ista, quoad bonorum administrationem, eidem competat; id quod post ORDINATIONEM PROC. RECOGNITAM ad *Tir. VIII. §. 1. ibi: Eine mündige Weibes-Person* etc. vid. quoque MANDAT. sæpe alleg. de Anno 1722. d. 18. Novembr. in Praxi Dicasteriorum electoralium omni dubio est exemptum; quicquid in Contrarium sentiant STRYK. *Uf. mod. ff. L. 27. l. 1. §. 7. BRVNEM. ad L. 4. C. de Excus. tutor.*

§. XXXII.

VNDECIMAM differentiam inde non immerito deduco: quod Cura sexus sit perpetua, Cura ætatis vero ultra tempus majorennitatis, quod Jure Saxonico anno XXI. completo evenit, se non extendat, sed majorennitate adveniente statim expiret.

§. XXXIII.

DVODECIMVM discrimen esto: quod Curatores minorum æque ac tutores pupillorum, ad officium Curatorum suscipiendum, nisi justas excusationis habeant causas, inviti cogi queant; Est enim per consequentiam munus publicum. *Pr. Inst. de Excusat. tur. vel*  
Cu-



*Curat.* Ad vero ad suscipiendam Curam sexus nemo invitus cogi poterit; utut vel maximè sceminæ invitæ Curator ex officio constitui queat; CARPZOV. P. 2. C. 15. def. 28. Ubi tamen exceptio de eò notanda, qui officio tutoris hæctenus in pupillum functus est; Hic enim, ut finita tutela & curam suscipiat & continet nullatenus cogi, quin potius redditis rationibus tutelam deponere, & ut alius Curator minori constituatur, omni jure urgere poterit. CARPZ. P. 2. Const. 11. def. 10. BEYER *Dissert. de hodierna Tutor. & Curator. differentia* §. 12.

§. XXXIV.

Plures equidem ad huc differentiaë utriusque Curæ in medium produci possent, inter quas non ultima nec levis hæc est, quod DECIMO TERTIO, minor cum Curatore semel electo ac confirmato sine fontica causa variare nequeat, quin potius uno eodemque in omnibus negotiis uti debeat, contra vero scemina, ut ut Curatorem jam tum habeat, tamen, ut ad hunc vel illum actum specialem alius ipsi constituatur, petere possit; B. de LYNKER. *Dec. 1466.* verbis: Ferner ein Weib anders denn ein Minderjähriger zu allen Handlungen nicht eben ihren Vormund jederzeit zu gebrauchen nöthig hat; sondern sich auch wohl nach Gefallen mit Hinweglassung ihres sonst gebrauchten Curatoris zu diesem oder jenem Actu einen besondern Vormund bestätigen lassen kan / .c. ubi obiter notandum, quod in casti, quo mulieri plures Curatores intuitu sexus constituti sint, non omnium consensus conjunctim requiratur, sed in contrahendis,  
ne-

negotiis unius etiam Consilium & autoritas sufficiat  
WERNH. P. 4. *Obs.* 21. *Vol.* 3. p. 151. nisi omnes Curato-  
res coram eodem iudicio simul & conjunctim constituti  
sint, Dn. de BERG. in *Oecon.* L. 4. tit. XI. §. 1. *Nor.* 11. p.  
281. & in *ELECT.* *Discept. forens.* p. 294. Sed ne plus ju-  
sto materia excrescat, atque intra terminos Dissertatio-  
nis Academicæ memet contineam, hæc ipsa specimi-  
nis publici loco in medium protulisse impræsentiarum  
sufficiant; Reliquæ enim, quæ forsam supersunt diffe-  
rentiæ, facile ex iis, quæ proposui, suppleri poterunt.  
Neque ut de usu practico quippiam adhuc speciati-  
m, differam, duxi necessarium, cum singuli Paragraphi  
ipsum usum per se satis contineant, atque ostendant,  
quare hoc ipso meditationibus meis levidensibus finem  
imponens SUPREMVM NVMEN omnibus, quibus fieri  
potest, precibus, oro atque obtestor, ut hæc cona-  
mina ad sui gloriam, meamque ac proximi salu-  
tem vergere sinat.

FINIS.




ULB Halle  
005 355 63X

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

1728 110  
Q. D. B. V.

81-

43

1470

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

SISTENS

GENVINAS CVRÆ  
SEXVS ET ÆTATIS  
DIFFERENTIAS,  
CVM VSV PRACTICO,

QVAM

INDVLGENTE  
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE  
IN PER-ANTIQA ERFFVRTHENSI  
ELECTORALI

PRÆSIDE

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,  
Icto,

SACR. CÆS. PALAT. COM. IVRID. FACVLT. ASSESS. ET PANDECT. PROF. P. O.  
NEC NON CIVITAT. SYNDIC. ET CONSVLE,

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE  
PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI,

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORE  
ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

CHRISTIAN GOTTLOB Petermann/  
Dresdens.

ADVOC. SAXON. IMMATICVL.

DIE XXVIII. SEPT. M DCC XXVIII.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad, Typogr.